



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Materia voti diuersis respectibus est consideranda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

magis quam quilibet alius contemptus aliorum mandatorum Ecclesie.

Violatio votorum semper damnabilis est.

VOti violatio peccatum est mortale: quia est perfidia contraria fidei Deo debitæ ex promissione ipsi Deo facta. Est nanque votum promissio Deo facta de bono. Est autem promittere constituere se debitorem eius quod promittitur.

Et propterea sicut ad virtutem fidei seu veracitatis pertinet vt seruetur promissio facta homini ita ad virtutem fidei religioſæ spectat vt seruetur promissio facta Deo de re illi grata. Et consequenter irreligioſæ perfidiæ est violare promissionem factam Deo de re Deo grata, quam promissionem vocamus votum. Et scito quod quando factum est votum de illo bono ad quod quis non tenebatur: perfidia voti est speciale peccatum mortale. Quando verò factum est votum de illo bono ad quod omnino tenebatur, perfidia voti est circumstantia mutans speciem, & necessaria ad confitendum: vt si quis vouit non fornicari, si postea fornicatur, crimen illud est & in specie fornicationis, & in specie perfidiæ irreligioſæ.

Materia voti diuersis respectibus est consideranda.

ET quoniam frequenter contingit confessores de votis iudicare, ideo diffusioſorem oportet sermonem facere. Primò, ex parte materiae. Secundò, ex parte vouentis. Tertio, ex parte impedimentorum occurrentium. Quarto, ex parte dispensationis seu commutationis. Quñ enim materia voti sit solūmodo bonum aut sub præcepto aut sub consilio diuino contentū, alienū à voti materia scito omne illicitū, omne quod est contra consiliū diuinū, & omne indifferens:

ita

ita quod si quis voueat aliquid illicitum (puta occidere hominem, aut dicere verbum otiosum) vel aliquid contra diuina consilia, puta non ingredi religionem, non mutuare, non fidei iubere, non facere elemosynam, vel aliquid indifferens ad morale bonum vel malum, vt non ire ad talem domum, vestiri veste alba, non est validum votum: quia non est votum: quia promittitur Deo quod Deo non placet. Sed occurrunt hic multa declaranda. Et in primis quod qui de facto vouet aliquid illicitum, aut contra consilium, aut indifferens, peccat vouendo, quia abutitur voto, & quandoque quidem mortaliter, quandoque autem venialiter. In tribus siquidem casibus peccat mortaliter vouendo. Primus est si vouet committere aliquod opus quod est mortale: vt occidere, mutilare, &c. Secundus est, si vouendo non faceret ea quæ sunt consilii, habet animum ita pertinacem, vt intendat obligare se voto etiam in casu in quo concilio habet vim præcepti: puta non mutuare patienti extremam necessitatem: & sic de aliis. Tertius est, si vouendo huiusmodi vota stulta & displicentia Deo, cognoscit quid facit, hoc est quod attribuit Deo id quod Deo non conuenit: scilicet acceptare huiusmodi vincula votorum, & tamen vult hæc vouere. Nam esset peccatum blasphemix huiusmodi votum: vtpote quod sciens & prudens attribuit Deo quod Deo non conuenit. Secus autem esset si crederet Deo displicere hæc vota, sicut peccata venialia displicent Deo, & nihilominus credens votum valere, aut saltem quod valeat quantum valere potest, faciat huiusmodi vota: nam tunc venialiter tantum peccat excusante illum ignorantia communi, & existente intentione non mala, sed promissione stulta. Venialiter autem semper peccat vouens quodcumque horum: quia displicet Deo stulta promissio: qualis est tam indifferens quam

Voti materia. 551

oppositorum consiliis, quàm venialium promissio Deo exhibita. Circa illicitorum deinde vota; nota contingere hæc sex modis.

Primò, promittendo opus in se illicitum, vt si quis voueat occidere aliquem. Secundò, promittendo opus bonum vestitum malo fine: vt si quis voueat dare eleëmōynam ob inanem gloriam. Et neutrum horum est votum: sed peccatur vouendo ad implendum. Tertiò, promittendo licitum ob illicitam petitionem obtinendam: vt si quis vouerit offerre Deo mille aureos ad occupandum ciuitatem non suam. Et hoc votum blasphemia est non votum: quia est facere Deum actorem seu patronum criminis. Quartò, promittendo Deo licitum pro obtento illicito quali recompensationem seu gratiarum actiones: vt si quis vouerit se sacrificium Deo oblaturum pro obtenta aliena vxore. Et hoc quoque blasphemia, non votum est. Quintò, promittendo licitum pro petitione licita, ex turpi tamen causa pendente: vt si quis habens concubinam voueat Deo centum aureos, si concesserit sibi ex illa filium. Et hoc votum est verè votum, & obligat si conditio extat: quoniam votum non cadit super illicito coitu, sed super dono filii, præsupposito illicito concubitu. Non tenetur tamen retinere concubinam, vt faciat quòd in se est ad implendum votum: quia præsuppositum est malum & illicitum. Sextò, promittendo licitum non pro aliqua petitione obtinenda, sed purè conditionaliter apponendo euentum illicitum: vt si quis voueat se ingressurum religionem si committeret adulterium, ad hoc vt caueat ab adulterio, vel vt pœnitentiam faciat de adulterio, vel absolutè intendit in tali euentu obligare se ad tale votum. Et huiusmodi vota sunt verè vota conditionalia: & obligant eueniente conditione, & non alia. Circa indifferentium vota aduerte, quòd

promittere

552 Vouentis condit.

promittere Deo indifferentia, (vt sunt ea quæ nec bona nec mala sunt) est stultū. Prouenit enim ex stultitia de Deo imaginatione, quasi Deo placeant humana, hoc est voluntaria opera quæ non sunt moraliter bona: vt nō filare in sabbato, non pectere caput, &c.

Verum hoc intelligendum est de operibus indifferentibus manentibus in sua indifferentia. Nam si opera indifferentia ex aliquo respectu fierent bona vel mala moraliter, tunc cadere possent sub voto. Verbi gratia tam ire quàm non ire ad domum Ioannis, est opus secundum se indifferentis: sed si in Ioannis domo fit vere fiat aliquid attractiuum mei ad malum (puta ludus, vel mulier attrahens, &c.) tunc ire ad domum Ioannis non est indifferentis, sed declinat ad malum, & non ire declinat ad bonum. Et propterea si in huiusmodi casibus vouerit quis non ire ad Ioannis domum vt caueat sibi votum est validum. Si tamen ex Ioannis domo cessaret ludus aut mulier, & breuiter ratio mali, cessat obligatio voti: quia cessat voti materia. Ex hoc ipso enim quòd non ire ad domū Ioannis non habet amplius rationem cautelæ seu præseruatiui à periculo reddit in naturā indifferentis: & sic non est amplius materia voti. Hæc de materia voti.

Conditiones quatuor ex parte vouentis examinanda.

EX parte autem vouentis quatuor conditiones occurrunt: scilicet fallacia, imperfectio actus, imperfectio ætatis, & subiectio. Inuenitur igitur fallacia quandoque in voto, vel quia non intendit vouere, sed simulat se vouere. Et quoniam hoc est decipere Ecclesiam cui fit votum solenne, aut homines testes, coram quibus aliquis emitteret publicū votum, & dolus ac fraus nulli debet patrocinari, licet votū in veritate nullum sit, compelli tamē debet ad implendum quod